Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Super Genesim ad litteram - Cod. Aug. perg. 59

Augustinus, Aurelius

[Reichenau ?], 1425

Kolophon

urn:nbn:de:bsz:31-93276

Visual Library

etiam similitudinibus corporum non sit videre posse
incommutabilem substantiam ut sancti angeli vident
sine alia latebrosiore causa · sive ideo quia inest
ei naturalis quidam appetitus corporis administrandi
quo appetitu retardatur quodammodo ne tota inten-
tione pergat in illud summum celum quamdiu non subest
corpus cuius administratione appetitus ille conquiescit ·
Porro autem si tale sit corpus cuius sit difficilis
et gravis administratio sicut hec caro que corrumpitur
et aggravat animam de propagine transgressionis
multo magis avertitur mens ab illa visione
summi celi · Unde necessario abripienda erat ab eisdem
carnis sensibus ut ei quo capere posset illud
ostenderetur. Proinde cum hoc corpus iam non animale · sed
per futuram commutationem spirituale receperit angelis
adequata perfectionem habebit nature sue modum obe-
diens et imperans vivificata et vivificans
tam ineffabili facilitate ut sit ei glorie quod sar-
Sa mira ei erit et tunc Cine fuit ·
ista tria genera visionum · sed nulla falsitate aliud
pro alio approbabitur nec in corporalibus nec in spiritualibus
visis multo minus etiam intellectualibus quibus ita
presentibus et perspicuis perfruetur ut longe
minore evidentia nunc nobis adiaceant iste
species corporales quas sensu carnis attingimus · et
eis multi ita sunt dediti ut solas esse arbitrentur
et quicquid tale non est putent omnino non esse · Sapientes
autem ita se in hiis corporalibus visis ut presentius eis pre-
sentiora videantur · certiores sint tamen in illis que
preter corporis speciem propter corporis similitudinem intel-
ligendo utcumque perspiciunt quamvis ea non vale-
ant in mente conspicere ut hec sensu corporis intuentur.
Sancti vero angeli et hiis corporalibus iudi-
candis atque administrandis presunt · nec eis tamquam
presentioribus familiarius inclinantur · et eorum
significativas similitudines in spiritu ita discernunt
et tanta potestate quodammodo tractant ut eas possint
etiam hominum spiritui revelando miscere · et illam
incommutabilem substantiam creatoris ita conspiciunt ut
visione atque amore eius preponant omnibus
et secundum eam iudicent de omnibus et in eam dirigantur
ut agant et ex ea dirigant quicquid agunt :
Denique quamvis abrepto apostolo a carnis
sensibus in tertium celum et paradisum · hoc ipsum certe
defuit et ad plenam perfectamque cognitionem rerum
que angelis inest · quod sive in corpore sive extra corpus

esse nesciebat · Hoc utique non deerit cum
receptis corporibus in resurrectione mortuorum corruptibile
hoc induetur incorruptione et mortale hoc induetur
immortalitate · Quia cum evidentia erit sine
ulla falsitate sine ulla ignorantia suis ordinibus
distributa et corporalia et spiritualia intellectualia in
natura integra et beatitudine perfecta ·
Scio quidem non nullos eorum qui scriptis
suis ante nos in fide catholica claruisse
laudantur etiam sic exposuisse quod ait apostolus
tertium celum · et corporalis et animalis et spiritualis hominis
hic distinctionem accipi vellent atque ad id incorporearum
rerum genus intellectuali evidentia contemplandum
esse apostolum raptum quod genus etiam in hac vita
spirituales homines pre ceteris rebus diligunt eoque perfrui
concupiscunt · Ego autem tunc maluimus spirituale
et intellectuale dicere quod illi fortasse animale et
spirituale dixerunt ut eorum rerum alia tamen modo
nomina ponere iam in primis huius libri partibus
me debuisse sufficit · Quod si vere pro modulo
nostro disputavimus a spiritualis lector hoc approba-
bit · aut etiam non sit spiritualis · Adiuvante spiri-
tu ad eo ista lectione proficiet · Deo iam
volumen hoc opus quod · xii · voluminibus continet
isto tandem fine concludimus :

Expliciat liber super Genesim ad litteram
· xii ·

Anno tricesimo quinto In die pasche
Finitus est liber iste scribendo per manus Johannis
Parvuli In civitate Auguste.

Salve virgo pia · salve benedicta maria
Precibus sue matris benedicat filius dei patris :

Parvulus

[illegible]